



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

lesu Christi Annus. M.D.XIII. Sancti Patris Benedicti. MXXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

Matremfamilias prodente, & grandibus prodigijs, eodem universos fideles invitante, Majestatemque suam, & apud filium auctoritatem prodente. Ex Chronico Montserratensi, Antonio de Jopes, Annal. nostr. Benedict.

Gerlacus de  
Breitbach  
Abbas Tui-  
tensis.

Moritur hoc anno Insignis Reformationis in Germania promotor Gerlacus de Breitbach, genere atque religione spectatissimus, Abbas S. Herberti Tuitensis cui haud impari Disciplinae propagandae studio Henricus Horstius successit, ut cum vel maxime omnia in saeculo in praecipis ferri viderentur, Benedictinus passim Vigor Virorque se proderet, & nobilissima quavis Canobia, juventute Aquila renovari viderentur.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XIII.  
Sancti Patris Benedicti. M.XXXIII.

Cisterciensium  
fer-  
vor.

**F**ervorem hunc Nigrorum, amulata candidissima Ordinis nostri Reformatio, Cisterciensium in eodem Regno Hispaniae Congregatio, quae saeculum superius novo exortu sub annum Christi millesimum quadringentesimum quintum & viceesimum illustraverat, a Monte Syon cognominata, recentibus sub hunc ipsum annum flammis reaccensa, etsi nunquam non splendide arsisset, pia tamen & laudabili amulatione nunc flagrantior, germana Nigrorum, magna BENEDECTI parentis gratulatione, sancto Zelo cum germana contendit, pulchro certamine, cum vinceret utraque, neutra vinceretur. Juvat ex Henriquezio pauca afferre, quam studuerint olim, studeantque hodie, sanctae hujus Reformationis filij acurate sanctissimi sui Patriarchae Benedicti Regulam observare. In Monasterijs, inquit, multa cum Reformatione vivunt, semper silentium servant (NB) unum solum in hebdomade habent diem, quo liberè loqui licet post refectorem, & in campos ad deambulandum exire. Quod tamen nunquam in Quadragesima vel Adventu conceditur, tunc enim temporis continua mortificatione & poenitentia se exercent. Vestiti & cincti, juxta Regulam, dormiunt, nec Caligas exuunt. Eorum jejunia sunt frequentia & assidue mortificationes & disciplina, quibus passiones domant. A sanctae Cru-

Modus vi-  
vendi san-  
ctissimi

cis Festo, quod in Septembrem incidit, usque ad Pascha Ordinis jejunia observant, nec canant, nisi Dominicis diebus, quando ova eis dantur, nam semper per annum in coena carnibus abstinent, & ter solummodo in septimana carne vescuntur: idque ideo permillum, quod difficulter pisces in Castellae provincijs reperiantur. Clausura eorum notatu digna, nam semel tantum in triennio Monasterio exire licet: dumque ibi sunt, cubiculis exire & per domum vagari vetatur, nisi eundo ad Chorum. Quotidie labore manuum exercentur, vel fodiendo hortum, vel lapides ad aedificia portando, vel alijs laboribus & exercitijs se occupando: dumque operantur, omnes simul capitibus tectis laborant, nec verbum quidem proferentes, ita ut solum instrumentorum strepitus, & ne verbum quidem inter homines audiat. Idque non parum admirationis, eorum Monasteria visitantibus adfert, quod ratione habita recollectionis, & silentij servati, videantur intra illos muros clausi, non homines vivi, sed corpora mortua. Et sanè sic se res habet: jam enim rebus humanis mortui sunt, quasi in mundo non viverent, sed in desertis his sepulti jacerent. Hospites singulari humanitate recipiunt, secundum Regulam, & post orationem in templo, habitam, omnia necessaria in domo Hospitum, liberaliter praebent. In qua hospites una comedunt, & religiosè tractantur, nullo tamen in cibis permisso excessu, nec profano colloquio in congressu. Potius Hospites multum aedificantur, dum humanitatem, charitatem, modestiam, & virtutem, quae excipiuntur, animadvertunt. Si hospites fuerint Religiosi, in Refectorio aliquando comedunt, & tanquam veri fratres tractantur. Nec propter strictam, quam profitentur clausuram, proximorum utilitati consulere desunt, sed magna sollicitudine populù docere student virtutis semitam, & a vitijs & peccatis avocare, quibus se implicare solent, qui mundum amant, ejusque vanitates & delicias sectantur. Hac de causa, ex solitudinibus, quibus clauduntur, profecti in civitates & vicos, amore Divino accensi, Verbum Dei annunciant, populi confessiones audiunt, sanctisque admonitionibus, &

Exercitia  
quotidiana.

Hospitalitas  
Benedictina.

Clausura  
strictior.

Fructus  
Contemplationis.

gra-

gravibus verbis, quam plurimos, ad propriae miseriae cognitionem adducunt, &c. Evidentissimi sunt effectus, qui sanctum hoc exercitium consequuntur: nam & ipsi Religiosi Divinarum rerum contemplatione, exercentur & sufficienter in Divinis litteris instruuntur. Habent hanc de causa in Regnis Castellae & Galliae Philosophiae & Theologiae scholas, ubi Monachi non litteris solum, sed bonis etiam & sanctis moribus informantur. Sunt ibi Abbates & Priores alijque officarij Abbatum & Monachi qui Chorum frequentant, & pro temporali regimine sunt solliciti. Studiosi mane hora tertia surgunt, omnesque simul in Ecclesia contemplationi vacant: indeque ad Studia, cubicula sua repetunt, totumque diem in studijs transigunt; sic, ut nec media hora in otio transigenda superfit. Omnes summae Missae, Salutationi Divae Virginis Vespertinae, & contemplationi post completorium intersunt &c. Ex his Collegijs eminentissimi prodeunt viri, qui postea publice professi sunt, & proficentur Theologiam, non solum in Ordinis Collegijs sed & in Universitatibus; quorum multi per universam Hispaniam celeberrimi extiterunt, &c. Maxima est uniformitas, quae in omnibus hujus Congregationis Monasterijs observatur; nam nec victu, nec amictu, nec carimonijs & conversatione inter se differunt: sed omnes, quamvis in diversis agant provincijs, eundem servant agendi modum, & similem disciplinam. Bona sunt communia, ditiores enim Abbatiae pauperiores juvant, & particulares necessitates, communes habentur. Hincque Religiosos habent, quos Procuratores Generales nuncupant, qui Madriti, Vallisoleti, Conimbriae & Romae, omnia Monasteriorum negotia, totius Congregationis expensis, procurant: hincque omnes contribunt, quo commune Monasteriorum bonum conservetur & promoveatur. Mutantur & ablegantur Monachi ex uno in aliud Monasterium, prout Superioribus visum fuerit expedire. Quod omnino necessarium, tum ad Monachorum consolationem, tum ad unitatem & Monasticam disciplinam conservandam, videtur &c. Mittuntur & Reli-

giosi in Infidelium Regiones ad Evangelium annunciandum; unde maximus consequutus est fructus, praesertim in Hybernia, ubi insignes & Apostolicos habuimus viros, qui innumerales homines ad fidem Catholicam converterunt &c. *Fit Henrig. libro 11. fascic. dist. 15.* Ut quis facile animadvertat, quantum haec unica, sed amplissima Congregatio, nequissimo hoc saeculo praestiterit, & quid horum exemplo, & pia emulatione aliae quoque Congregationes molitae sint, Divi Benedicti Spiritu semper magis ac magis suos animante, & ad altiora promovente, uti deinceps videbimus.

Agit de eadem Congregatione Aubertus Miraeus scriptor meritissimus, nostrarumque rerum, ut in suis ad nos datis litteris & alijs saepe prodidit, indagator solertissimus. *Habet haec Congregatio, inquit inter alia, varia Collegia Philosophica & Theologica, in quibus Monachi optimis disciplinis ac moribus imbuuntur, quod exemplum utinam Galliae ac Germaniae nostrae emularentur* [ & vero hodie multa strenue emulantur ] *hoc praesertim tempore, quo toti Haereticorum phalanges, Ecclesiam Orthodoxam undique impugnant. Inter alia Collegia Hispaniae, eminent Complutense, quod ea in Academia Ludovicus Sivada Abbas Hortensis fundavit, nempe Salmanticensis, titulo Beatissimae Matris Virginis Lauretanae clarum. In utraque Academia plurimi sunt ex Ordine Cisterciensi [ similiter & Cluniacensi ] Doctores ac professores Theologiae celeberrimi, quos Cathedralicos vocant, plurimi item concionatores facundissimi, ex istarum Academicarum aliorumque locorum Gymnasijs quotidie, magno Fidelium, nec minore Religiosorum commodo atque ornamento. Ita Miraeus.*

Neque satis, quos jam non semel laudavimus, Camaldulensibus nostris, communem Regularis vitae ac vitae tramitem tenere, nisi novo fervore simulque rigore nova & maiora audent, & ad altiora eniterentur. Ita hoc ipso anno, aeterna cum saeculi hujus gloria, Ordinis & Ecclesiae universae bono, beatus Paulus Justinianus Venetus aggressus est, & novam ejusdem sanctissimae Congregationis Reformationem instituit; cui plurimi deinceps, non tam nomine, quam factis ipsis subscripsere, incomparabili paulo post fructu

Litterarum  
studia ste-  
rentissimam.Professores  
celeberrimi.Procurato-  
res Genera-  
les.dissiones  
Apostolicae.Hayesum  
debellatio-  
res,V. Paulus  
Justinia-  
nus Refor-  
mat Crati-  
nem.

fructu subsequente. Is illustrissima Justinianorum gente, apud Venetos ortus, Patre Francisco Justiniano, matre Paula de Maripetris editus, summa omnium admiratione, delicatissimus etiamnum adolescens, summae Vitae rigorem Camalduli professus est; quo in Archisterio, rarissima vitae excellens sanctitate, plurimos ad sui imitationem, et mundi periculis, in portum securissimum Religionis pellexit, & ab interitu vindicavit. Quos inter Petrus Quirinus: Patricius Venerus, non minus eruditione quam Generis splendore spectatus Hebraica, Graeca & Latinae linguae peritissimus, haud vulgaribus, aut equum Monachum profiteretur Legationibus pro Republica perfunctus, qui Paulo nostro in Ordinis Reformatione, egregiam etiam operam navavit. Ita novum rursus lumen, ex Ordine nostro Italiae affulsit & Congregatio nostra Camaldulensis primae va reddita sanctitati, exempla perfectionis eximia, omni, sequuturae deinceps posteritati, utilissime ministravit *Ex Luca Erem. Rom. uldinis &c.*

*Petrus Quirinus vir sanctus & eruditus.*

*IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XIV. Sancti Paris Benedicti. M. XXXIV.*

**P**lures ex Ordine nostro, Caenobijs, etiam vel maxime reluctantes, extracti, ob eximia Vitae merita, & super candelabrum positi magno cum Ordinis honore, nec minore diversarum Provinciarum utilitate, summo Regnorum diversorum, & Ecclesiae Catholicae plausu & ornamento, Episcopatus diversos, sanctissime atque utilissime administrarunt. Eos inter, hoc maxime anno excellunt: Reverendissimus & Illustrissimus Antonius Boherius [ de Bohier ] Austremonij Baronis de Sainct. Cierque, ex Berarda Antonij Cardinalis a Prato sorore filius, ex Monacho celeberrimi Caenobij SS. Trinitatis Fiscanensi, Bituricensis Archiepiscopus, Galliae Primas [ idem jam ante, ob insignem virtutis famam, varijs honoribus cultus, muneribus honoratus ] summo omnium plausu creatus; & Fr. Ludovicus Mendez, ex Monacho sancti Domini de Silos, Episcopus Sidoniae renunciatus. Idem Abbas perpetuus praedicti sui Caenobij confirmatus, merittissimus sanctae Hispanicae Reforma-

*Antonius Boherius Archiep. Bituric.*

*Ludovicus Mendez Episcopus Sidoniae.*

tionis propagator., *Claud. Robertus, Ioan. Chenu. Anton. de Tepes Chron. Benedicti. Alph. Cracon & alij.*

Extinguitur hoc eodem anno, haud vulgare Ordinis ornamentum, Joannes Raulinus, Universitatis Parisiensis Doctor & Professor clarissimus, Concionator Regius, sanctissimi illius, & innumerabili sanctorum frequentia toto Orbe famosissimi Archisterij Cluniacensis in Majore Burgundia Canobita Religiosissimus, Prior S. Dionysij Noganti, *Epistolis & sermonibus editis*, teste Claudio Roberto, celeberrimus, cuius eximia erga Deiparam, Coeli Reginam. Benedictini Ordinis Dictatricem devotio plurimum commendatur; ut & erga Parentem suum communem Religiosorum Patriarcham Benedictum, cuius laudes insigni studio & industria celebravit, multumque Ordini in conquiritibus contulit. Decessit autem sepultusque est Parisijs in Collegio Cluniacensi 16. Februarij hujus anni M. D. XIV. scripsit autem, praeter multa alia, typis necdum vulgata Libros sequentes:

*Joannes Raulinus vir doctissimus.*

*Sancti eximius.*

*Sermones Quadragesimales. . . . . librum I. De Adventu Domini nostri. . . . . librum I. Doctrinale de Triplici morte, Naturali, Culpa & Gehenna. . . . . librum I. Itinerarium Paradysi. . . . . librum I. Qui omnes Venetijs typo excusi in lucem prodierunt anno Christi. 1585.*

*Ingenij monumenta.*

*IESU CHRISTI ANNUS. M. D. XV. Sancti Paris Benedicti. M. XXXV.*

**I**terum alia Reformatio, multo bonorum plausu, summam REDIVIVI in suis filijs BENEDICTI parentis gloria instituta, & mox latius propagata, qua amplissimum illud, Insula vere sanctae Lerinenis Archisterium, caeteris plurimis exemplo & incitamento restitutum est, sub Augustino Grimaldo Abbate, multis deinceps ejusdem propositum, & conatus, pio Zelo & aemulatione Generosa consequentibus. Placet ex Vincentio Barrali nostro, pauca de felicitate sacrae illius Insulae cognoscere, ut sanctissimo Patriarchae nostro atque ejusdem Ordini, pro ejusdem possessione & tanto post Spiritus resurrectione promptius & plausibilis gratulemur. *Est igitur, inquit, nostra felix Insula Lerinen-*

*Iterum Redivivus in suis Benedictus.*